

V I T A  
S A N C T I L I B E R I I I I .  
C A P U T U N I C U M .

*Liberii elogium. Omnia incerta.*

D E S A N C T O L I B E R I O .

**L**iberius XII. præcipuus Vir, orphanorum Pater largus eleemosynis Pontificatum in pace rexit. Evangelicam prædicationem verissimè custodivit, juxta quòd scriptum est; *in patientia vestra possidebitis animas vestras*. Nil alterius quidpiam subripuit, vel occupavit, ex suis justis laboribus Deum honoravit. Post obitum suæ vitæ officiosissimè sepultus est, & æternam requiem possidet. Nam de supradicta Vita Liberii, quantum retinui, vobis disserui. Sedit autem hic Beatissimus annos..... mens..... dies.....

V I T A  
S A N C T I P R O B I I I .  
C A P U T U N I C U M .

*Sancti Probi elogium, & obitus.*

D E S A N C T O P R O B O .

**P**robus XIII. pinguis Divinâ gratiâ, & speciosus formâ, decrepitus ætate, gravis corpore; hilaris vultu, cœlesti perfusus gratiâ, roboratus Deum semper quæsit. Ille non cessavit tuas admonere oves, sed ingens prædicator extitit. Tanta autem excellentia divinitatis fuit in eo, ut eruditos sapientia spiritali superaret, & inereditos gratiâ Spiritus Sancti reficeret. Qui circa vicinam mortem positus, Angelorum contemplatus agmina lætus, & exultans tendens ad sydera palmas, flammantia lumina clausit, & reddidit Spiritum; sepultusque est iste Beatissimus, ut suspicatus sum, cum Prædecessore suo. Sedit autem annos..... mens..... dies.....

V I T A  
S A N C T I F L O R E N T I I .  
C A P U T U N I C U M .

*Sancti Florentii elogium, obitus, & sepulcrum.*

D E S A N C T O F L O R E N T I O .

**F**lorentius XIV. justus homo, pater pauperum, & rector viduarum, magnus prædicator, humilis, mansuetus, & pius, exhortans quotidie oves suas, ut ad portum salutis, & poenitentiae fructus citius confugerent. Sepultus est hic Sanctus Vir in Monasterio Sanctæ Petronillæ, hærens muris Ecclesiæ Apostolorum. Rexit Ecclesiam suam annis..... mensibus..... diebus.....